

*alvi, putredines, epilepsia, apoplexia, angina.* Pluviosus namque aër uti humectat totum corpus, ita quoque inspirando reddit ob eandem causam fauces imbecilliores, & vasa laxiora. Accusat etiam *Idem* (p) vernalem & autumnalem aërem. (p) f. 3. Nam verno tempore sanguis ab aëre jam calidiore reddito *aph. 29.* quasi fermentatus turget: datâ igitur laxitate & facilitate prorumpendi circa fauces, egreditur is ibidem è suis receptaculis. Autumnalis verò aër videtur hoc præstare suâ inæqualitate, quâ sanguinem æstatis tempore nonnihil adustum fluidum reddit, & ad fauces, si imbecilles sint, decumbere facit. Malignæ & epidemiæ anginae ex malignâ & pestilenti aëris constitutione dependent.

§.4. Una regio alterâ proclivior ad Anginam. Ita Ungari frequentius eam incurrunt 1. ob regionem, quæ calida. 2. vinorum potentiam. 3. temperamentum quod calidum & humidum. Vid. *Observationes Ungaricas Coberi.*

§.5. Denique ad causarum externarum classem, quæ corpori foris accidunt, spectant lotio capitis intempeſtiva, & pleno corpore instituta, quæ humores concitat, & ad fluxiones invitât: nimia capitis tectura, quæ transpirationem calidorum effluviolorum sufflaminat: percussio capitis, cervicis, & locorum prope fauces; vehemens colli constrictio, spinæ vel ossicula gulæ & faucibus infixa, quæ præterquam quod deglutitionem cibi impediunt, dolore etiam excruciant, inflammationemque in faucibus, ex acuto ipsorum contactu movent, non rarò etiam pungendo continuum solvunt & ulcerant.

## CAPUT VI.

**S**pecies seu differentia anginae juxta veteres Græcorum quatuor constituuntur: prima dicitur *κωδάγχη*, altera *ωδγκωδάγχη*, tertia *σινωδάγχη*, & ultima *ωδασωδάγχη*, quibus nonnulli &